

2561

CASUISTICI.

2562

prouinciali concilio Salzburge An. Domini M^o CCC^o LXXXVI^o. Extant post alios Synodographos apud *Harzb.* T. IV. p. 530. et recensentur ex *Cod. nostro* ab *Hansiz. supracit.* p. 462. *Hundius* tamen et *Metzgeri* de hac Synodo filent.

XIX. fol. 223. p. 2. Libellus supplex nomine *Udalrici III. Episcopi Pataviensis* datus Pontifici, ut inhibeat FF. Minoribus de observantia, ne in Oppido *S. Hippolyti* Coenobium aedificent contra voluntatem Praepositi et Conventus Can. Reg. S. *Augustini* in eodem Oppido fiti. Incipit: *Beatissime Pater. Creuit adeo temeritas et insolentia quorundam fratrum minorum de observantia nuncupatorum in partibus Alamanie et presertim in dyocesi patauien, ut ne dum loca dicti ordinis prope parochiales ecclesias de nouo erigere sed totum fere populum ad eorum ecclesias trahere &c.* Subscriptio: *Fiat ut petitur de futuro Et committatur Preposito S. dorothee Wyennen. Datum Senis XI. Kl. Martij Anno Secundo.* Ejusmodi querelas etiam in reliqua *Austria* et *Stiria* circa annum 1456. exortas inuenio apud *Hansizium cit.* p. 495. Pontificem itaque, ad quem praefens libellus directus fuit, *Callistum III.* putem.

XX. fol. 224. p. 2. *Formulae* Literarum Pragmaticarum in negotiis ecclesiasticis seu confistorialibus, ad Dioecesim *Salisburgensem* adcommodatae. Exempli caussa: *Ab Archiepiscopo ad archidiaconum pro decima papali extorquenda.*

Executio Archidiaconi. Super procuracione imponenda plebanis. Executio commissionis. Modus citandi Monachos mendicantes ex commissione &c. In *Stiria* superiore conceptas fuisse docent locorum nomina: *Judenburg, Leuben. Gessa &c.*

In hoc *Codice* contenta obiter jam enumeravit *Lambecius L. II.* p. 802. edit. *Kollar. col. 630.* quae, qui *Synodicon Salisburgense* molietur, ob lectionis varietatem non inutiliter consulet.

DCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 643

XV. Folior. 334. 4. diversis manibus exaratus et olim *Monasterii montis sancti Iohannis baptiste in Rinkau*, five *Rhingovia* quondam O. S. B. continet Sequentia: I. Incipit *Stella clericorum.* Saepius memorata, ut docet *Index*, verum hoc loco *Prologo* instructa, qui quidem inchoat: *Architeſor philosophie (Aristoteles) in libro de celo et mundo describens proprietates celi &c.* in meris tamen Allegoriis infumitur, deque Autore Opusculi nihil docet, nisi *Theologum* fuisse. Opusculum excipit fol. 17. *Commentarius*, cujus initium: *Quasi stella matutina in me. Libellus iste qui intitatur stella clericorum principali sui divisione diuiditur in duas partes &c.* Commentatorem eundem cum Autore *Prologi* habeo.

II. fol. 49. Incipit tractatus magistri *binrici de bassia doctoris eximij studij wyen. fundatoris* qui fuit

2563

C O D I C E S

2564

fuit lumen totius ecclesie de proprietarijs monachis et monialibus. Initium: *Pro salute eorum qui vicia fugere cupiunt, cum ad viam veritatis reformati fuerunt &c.* Jam indicatus Cod. XC. quo te, si lubet, refer.

III. fol. 61. *Subscripta sumpta sunt ex tractatu magistri Johannis (sic rite, sed Librarius perperam Nicolai superimpofuit) Nydder, qui dicitur formicarius L. 1. c. 3. Accedunt alia Excerpta de summa Vlrici L. 6. tract. 3. c. 10. de incendijs et partu supposito aut per adulterium generato. §. Mulier vero. De hac Summa inedita F. Ulrici Engelberti de Argentina O. P. fuse agitur in Scriptt. Ord. T. I. p. 356.*

IV. fol. 66. *Subscripta per modum consilij data fuerunt cuidam persone tristi in tribulacionibus. Initium: Non turbetur cor vestrum. Job. 14. Potest bene quidem in virum eciam perfectum et sanctum cadere tristitia &c.* Ad calcem: *Jo. tinctoris sensu. Vir hic a duobus Ὁμωνομοίς Brabantino et Gunzenbustiano distinguendus claruit et scripsit in Academia Colonienfi versus medium Sec. XV. Vide Harzbemii Bibl. Colon.*

V. fol. 67. *Questio determinata per magistrum B. (ernardum) de R. (eyda) in vniuersitate colonien. Quaeritur: Utrum in aliquo monasterio feminarum liceat recipere aliquam feminam nouiciam ultra numerum personarum que de bonis monasterij commode sine penuria possunt sustentari et a persona recipienda oblati gratis spiritua-*

libus exigere temporalia? Audita utraque Parte acceditur adfirmanti. Nihil de Autore in Biblioth. Colon.

VI. fol. 71. *Ejusdem Decifio Quaestionis: Utrum dicta in sacramentali confessione sub pena peccati debeant celari sic quod nequam liceat ea quoquo modo reuelari. Distinguit Autor inter ea, quae cadunt sub sigillo confessionis directe uel ex conuenienti, et inter ea que subsunt sigillo secreti. Illa nunquam, haec in quibusdam casibus revelari posse.*

VII. fol. 78. p. 2. *Ex secunda secunde sancti thome. q. c. art. 6. per totum. De Simonia. Item: in 3^a Parte. De Absolutione Sacramentali.*

VIII. fol. 81. p. 2. *Predictam Collacionem publicauit magister Jo. Tinctoris sacre theologie professor eximius Colon. Agit de cultu Diei Dominicae et incipit: Circa declarationem 3ij precepti decalogi videlicet. Memento ut diem sabbati sanctifices &c.*

IX. fol. 85. *Sermo synodalis magistri bernhardi de Reyda. Initium: Reuerendi Patres et domini prelati pastores et ecclesiarum Curati hic in christo ad presens congregati prout pia mater ecclesia spiritus sancti edocta consilio hoc saluberrimum fecit institutum &c.* Expenduntur et adplicantur Clero verba Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum.* Ad calcem: *Indulgencias consuetas vobis pronuncio In nomine patris et filij et spiritus sancti. Amen. Coloniam pertinet.*

X.

2565

C A S U I S T I C I.

2566

X. fol. 97. *Passio sanctarum Affre et sociarum eius.* Initium: *Beata Affra filia sancte hylarie prius fuit publica in ciuitate Augusta peccatrix &c.* Itaque praeit etiam *Conuersio* prout apud *Bolland. T. II. Aug. p. 55.* a quo Exemplo Nostrum phrasi quandoque differt. Vide et *Cod. CC. XCVIII.*

XI. fol. 101. p. 2. *Traſtatus de Arte memorandi.* Incipit: *Apud huius artificii principem Ciceronem attendi poteſt memoriam quam artificialem appellat conſtare doctrina atque adiuuari. &c.* Ciceronis *Nova Rhetorica* hic innuntur, quamvis apud Graecos praecessere, qui similia commenti sunt. Nostrum *Matheolo Perusino, Petroque Ravenate* antiquiorem puto, et fortasse *Guilelmum Brixiensem*, de quo in *Praef. sua Matheolus.* Agit is primum de *Memoria naturali* per *Loca et Imagines* iuvanda, dein de *artificiali*, mediis videlicet *confusioni ordinis et debilitati impressionis* obviandi. *Judicium* de ejusmodi conatibus etiam *Sec. XVI.* continuatis tulit *Corn. Agrippa de Vanit. Scient. c. 10.*

XII. fol. 109. *Traſtatus de Paralogismis et argutis sophisticis consuetis fieri circa materiam individue et beatissime trinitatis editus per reuerendum magistrum Hermannum lorcz de nuremberga.* Ita e calce. Initium vero sic habet: *Traſtans de paralogismis consuetis fieri in materia trinitatis benedictae et eorum solutionibus premitam questionem aliquam preambulam ad*

boc necessariam. 2º. subiungam regulas ad hoc utiles. 3º. ponam paralogismos pluresque illorum solutam in forma. En *Opusculi διανομομαυ*, de cuius Autore qui tradat, neminem novi praeter *Ederum* in *Catal. Rector. Univ. Vien. et Locherum* in *Spec. Acad. Vien.* cui Noſter p. 3. audit: *Art. Mag. Doctor in Medicina et Baccalaureus in Theologia, Rector parochial. Ecclesiae in Hoffeld Bamberg. Dioec. bisque Academiae nostrae* praefuit anno 1387. et 1390.

XIII. fol. 126. p. 2. *Remedia II. contra Pestem germanice scripta.* Titulus et initium Prioris: *Disz ist der brieff den des Ronischen koniges Artzet bait gesant der eddelen frauwen von Blaen vor die Pestilencie. Zum ersten, wem sie (Bubones?) werden tzuſſen den schuldern der sal schraffen vnder dem flusse mit tzwein koppen &c.* Alterius: *Disse artzedie wart gesant dem konige von franckrich von den besten Artzen von Paris vor die pestilentz. Wem die druse off farn der nem senſſe vnd holderbleder &c.*

XIV. fol. 131. *Quedam subtilia de diuinitate.* Re ipsa *Confiderationes sensatae de Reductione Gentium ad Christi Fidem*, quarum initium: *In multiplici sunt differentia qui extra statum salutis in hoc mundo miserabiliter degunt. &c.* Dum eos enumerat, ait inter cetera Autor: *Alii fuerunt homines et forte ad huc alicubi sunt in insulis, apud quos non est nec fuit cultus diuinitatis. Recte opinatum dete-*

2567

C O D I C E S

2568

detecta post haec *America* docuit. Dein haec legas: *Licet iudei magis communicent cum christianis quam machometani, tamen christiani difficilius reducere iudeos possunt quam illos, qui sunt de lege machometi — in quorum lege ihesus nazareus tanquam dei propheta commendatur ut patet in alkorano &c.*

XV. fol. 139. *Henricus de Hassia de contemptu mundi.* Epistola inscripta: *Reuerendo in christo Patri ac domino. domino ekbar-do episcopo wormacien. Heynricus de langenstein diſtus de Hassia in medio regni pestilentie suspirans salutem et spiritum fortitudinis consolantem in aduersis.* Mortuus erat Frater *Eckbardi de Derſch*, qui ab a. 1377. ad a. 1405. praedictam Sedem tenuit, hinc *Henricus* Praefuli simul condolet, simul mortis memoriam graviter ingerit. Initium: *Audiui et conturbatum est cor meum, a voce contremuerunt labia mea. Ecce rumor infelix grandis displicentie nunciis &c.* Εν συμβολην ad Noſtri Epistolas a nemine, quod sciam, memoratam.

XVI. fol. 143. p. 2. *Trias* Quaestionum theologicarum discussa: I. *Vtrum dampnati debeant potius appetere non esse quam in miseria permanere?* II. *Vtrum solus deus sit adoracione latrie adorandus?* III. *Vtrum per indulgentiarum virtutem consequatur viator efficaciter salutem?* Accedunt *Notabilia* circa materiam de iudicio finali.

XVII. fol. 149. p. 2. *Istas* propositiones reuocauit *Parysius* magister *Job. de montesono* ordinis fratrum predicatorum et easdem vniuersitas *parysien.* aliquas tanquam hereticas aliquas tanquam male sonantes condempnauit. Ipse enim posuit eas in suis vesperis et asseruit katbolicas. Duo hic laborant. Primum *Montesonus* fuga se proripuit, et nihil revocavit; dein *Univerſitas* in sua *Censura* non adhibuit τὸ *Hereticas*, ut videre est in *Hist. Univ. Bulaei* T. IV. p. 620. ubi tota haec caussa enarratur, *Propositiones*que referuntur, ut in praesenti *Codice*, in quo succedit *Revocatio* *M. Iohannis Thome*, qui *Montesoni* ὑπερασπιστὴς fuit, facta in die *Anunciationis* *B. V.* coram populo *Parisiis* hoc initio: *Ego magister Job. Thome* frater ordinis predicatorum predicavi ante 14. annos publice coram populo, quod beata virgo maculata fuit, concepta in peccato originali, et qui tenet contrarium male credit et peccat mortaliter et est hereticus. Et quod festum conceptionis marie non est celebrandum. Item (*Ista*) ego reuoco tanquam falsa et male sonantia et erronea et scandalosa presumptuosa mala et displicentia bonarum mentium et piarum aurium offensua. Item ante 14. annos ego transtuli *Ieremiam* de latino in gallicum de 11. Capitulo ad 30. et impertinenter ibi tractavi unam questionem s. vtrum virgo maria fuit concepta in originali peccato &c. Deest haec *Revocatio* in *Bulaeo*, qui tamen alias

alias retulit; *Bibliothecarii Ord.* vero T. I. p. 694. eam levissimo digito tangunt.

XVIII. fol. 150. p. 2. *Epistola bildegardis ad clericos colonienfes.* Initium: *Qui erat et qui est et qui venturus est pastoribus ecclesiarum &c.* Adjungitur *Expositio prioris de eberspach cist. ord.* videlicet *Gebennonis* saepius memorati. Epistola est inter *Editas p. 157.*

XIX. fol. 152. p. 2. *Tractatus Henrici de Hassia de probatione spirituum.* Initium: *Sicut in phylosophia motus et operationes referri consueverunt &c.* Iam saepius relatus, ut *Index* docet.

XX. fol. 162. *Tractatus magistri Nicolai Oram* (Orem, Horem, Oresmii) *contra iudicia astrologie.* Exordium: *Multi principes et magnates noxia curiositate solliciti vanis nituntur artibus occulta perquirere et inuestigare futura. Ad eius erroris impugnationem ordinaui tractatum qui sequitur in hunc modum. In primo cap. monstratur quod principes debeant studere in astrologia. In 2º. inducitur quomodo reges astrologi fuerunt infortunati. In 3º. ostenditur ad quid debent intendere principes. In 4º. arguitur generatim contra astrologos. In 5º. determinatur que pars astrologie sit sectanda et que non. In 6º. docetur qualiter principes se debeant habere ad artes mathematicas. In 7º. solvuntur rationes adducte in principio questionis. En conspectum Opusculi, quod cum tot aliis argumento est, nulli aevo defuisse, qui Verum perviderent, quodque*

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

vel nostro ingeniorum ad absurda prurientium et infanientis sapientiae consultorum sane quam feraci non absque fructu legeretur. Exempli alterius in *Bibl. S. Victor. Paris.* existentis meminit *Lau-nojus Acad. Paris. illustr. P. III. L. I. c. 1.* ubi de Autore.

XXI. fol. 168. p. 2. *Quaestiones Theologicae II. pertractatae.* Prior: *Vtrum christus homo verissimus sit legislator rectissimus.* Altera: *Si christus saluator mundi violenta morte non fuisset occisus, vtrum secundum humanitatem senio defecisset et mortuus fuisset, an immortalis permansisset et in eternum vixisset.* Otiosum commentum.

XXII. fol. 176. p. 2. *Litterae Universitatis Parisinae in caussa Schismatis inter Bonifacium IX. et Benedictum XIII. datae Anno domini M^{mo}. CCC^{mo}. nonage^{mo}. quinto 26^{ta}. die mensis augusti, ut ad calcem. Ineunt: Vniuersis christi fidelibus Vniuersitas parisiensis zelantissima pacis salutem — Quoniam ante paucorum mensium spacium ad abolendum scisma nequissimum, quod catholicam inquinat ecclesiam et letali iam tam diu vulnerere sauciauit. christianissimi francorum principis edicto nobis imperatum erat vias quasdam ydoneas exquirere &c. Datum in congregatione nostra generali apud sanctum Maturinum super hoc specialiter celebrata vnanimi facultatum nationumque consensu sancto quodque vt credimus interueniente spiritu. Viae illae idoneae erant aut Cessio aut Compromissio aut Concilium gene-*

2571

CODICES

2572

generale, ut videre est in *Hist. Univ. Paris. Egassii Bulaei* T. IV. ad an. 1394. ubi tamen Literae nostrae desunt, quamvis eae, quae ad *Oxonenses* datae sunt, p. 751. recitentur.

XXIII. fol. 182. p. 2. *Copia litere responsionis uniuersitatis wyennens.* Adlatae erant Literae praecedentes ad Academiam nostram per *Job. Breuiscoxe* (Courtecuifse) *sacre theologie doctorem*, *Job. de Austria* licenciatum in eadem, et *Job. mercatorem in artibus magistros*, ut e Responso patet, cuius initium: *Reuerendissimi Domini — Quid flammis caritatibus vestris rescribere possumus nisi gemitum et planctum lugubrem &c.* Adhaerent *Bonifacio*; viam tamen *cessionis* probarent, si ille adnueret, id, quod agendum ajunt *Epistolis Principum Austriae ad Francorum Regem. Uniuersitatem suam Parisinae filiam primogeni-*

tam vocant et subdunt: *Wyenne die 12. mensis may Anno domini &c. 96. Tempore rectoratus venerabilis viri magistri colmanni de noua uilla.* Rem totam narrat *Conspectus Hist. Univ. Vien. P. I. p. 62.* Responsum vero ipsum non adfert.

XXIV. fol. 184. Oratio, qua luëtiosa Ecclesiae schismate laborantis facies depingitur, in illud: *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Incipit: *Quamquam non dubitem per multos maiores prelatos doctores et magistros meos in suis exhortacionibus et collacionibus descendum sponse christi puta ecclesie statum ante me multis vijs et modis varijs luculenter expositum &c.* Magnam culpaem partem Orator a Clero in Principes et Magistratus transfert, nec abs re.

XXV. fol. 188. Lessus carmine hexametro in Schisma Ecclesiae, hoc initio:

*Impia que stentem laniant nunc scismata mundum,
Et rabidi gemitus districto viscere corda
Nostra trabunt &c.*

Loci communes, e quibus nihil ad historiam concludas, nisi fortasse e peroratione:

*Tu quoque romani princeps clarissime regni
Inclite dux, tantam quem nunc conscendere sedem &c.*

Schisma *Eugenii* et *Basileensium* et *Albertum Austriacum* eruas. Versus sat facilis est, sed Exemplar mendosum.

XXVI. fol. 198. Incipit *tractatus de Peccato originali fratris egidij (Columnae) de Roma ord.*

fratrum heremitarum sancti augustini. Capitulum primum in quo est prologus. Initium: *Ego sum puluis et cinis. loquar ad dominum meum &c.* Capita VII. prout in *Edit. Rom. Opp. f. 1555. Fol. 48. p. 2.* et nobis alibi.

XXVII.

2573

C A S U I S T I C I

2574

XXVII. fol. 207. *Incipit speculum peccatorum.* Additum alia manu: *Henrici de Hassia.* Initium: *Quoniam karissimi in via huius seculi fugientis sumus dies nostri sicut umbra pretereunt &c.* Cod. DXCII. retulimus illud *Augustino* perperam inscriptum; sed neque *Henrici Hassi* esse videtur, cuius nomen nimium liberaliter ignorantibus Scribae Tractatibus asceticis adposuere, unde saltem manifesta fit Viri celebritas.

XXVIII. fol. 212. p. 2. Sequuntur Quaedam ad Concilium *Constantiense* pertinentia, et primum: *Questio proposita coram Dominis Iudicibus fidei per Reverendissimum in christo patrem dominum Episcopum Atrebatensem die IV. mensis augusti Anno domini M^o. CCCC^o. XVII^o.* &c. *Martinus is Poreus* fuit ex Ord. Praed. adsumtus et ad Concilium *Johannis Burgundiae Ducis Legatus*, acerque ibi *Gersonii* in causa caedis Ducis *Aurelianensis* a *Burgundo* iustae adversarius. Adi de *Ro*, et memorata causa *Collectionem Hardtianam*, *Gersonii* Opp. T. II. *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 777. *Galliae Christ.* T. III. p. 341. Quaestio porro ea est: *Vtrum quilibet christianus ex professione facta in baptismo teneatur indispensabiliter sub pena damnationis eterne fidem catholicam defendere et ejus aduersarios usque ad mortis interitum persequi.* In responso figitur generalis haec regula: *Omnis doctrina suadens iubens uel approbans occisionem hominis cuiuscunque sub pretextu uel heresis uel*

tyrannidis uel alterius criminis non incluso sufficienter aut etiam excluso diuino Iuris ordine censenda est hereticalis, implicare contradictionem et iudicio fidei reprobanda. Quaestionem hanc excipit alia: *Vtrum procurantes quod absque expresso consensu sacri concilij procedatur ad electionem futuri summi pontificis ex quo certum est ex protestacionibus iam factis et ex multis alijs verisimilibus causis quod si hoc fiat nouum scisma exoriretur in ecclesia dei, tales sint censendi perturbatores concilij autores et fautores scismatum ac uehementer de heresi suspecti?* Respondetur adfirmando. Tertio quaeritur: *Vtrum reformatio ecclesie in capite sit sufficiens et efficax causa quare debeat differri electio summi pontificis, usquequo illa fuerit debite consummata?* Et rursus adfirmatur. Demum quaeritur: *Vtrum eadem sit causa sufficiens quare debeat differri etiam tractatus super modo et forma future electionis.* Id quoque adfirmatur. Succedit mox *Exhortatio ad regem Romanorum* (*Sigismundum*) in concilio *Constant.* Hortatur *Anonymus*, ut nolit diffidere a procuranda pace Ecclesiae, neque fidat fucatis coloribus et dolosis colloquiis. Initium: *Serenissime &c. Grandia siquidem audio de tua mira et digna commendacione extollenda prudentia &c.* Exhortationem hanc excipiunt *Litterae Sequentes*: I. *Sigismundi Imp.* *Litterae Securitatis* affixae *Constantiae* pro futura Pontificis electione. Incipiunt: *Sigismundus dei gratia &c. Sane cum facta huius*

E 2

sacro

2575

CODICES

2576

sacro concilio spiritus sancti gratia cooperante unione &c. et memorantur in Diario Concilii apud Herm. v. d. Hardt, non tamen referuntur. Datae sunt: Constan. Anno Domini M^o. CCCC^o. XVII. X. Indictione. die uero IX. mensis Iulij. &c. firmataeque nominibus Principum, Officialium Aulae et Magistratus Civitatis, ut videre est in Cochlaei Hist. Hussit. L. IV. p. 170. II. Copia Literarum transmissarum per papam Jo. et Regem Romanorum per mundum pro Concilio celebrando. Solius Sigismundi sunt, hoc initio: Qualiter Reuerendissimi in christo patres et domini &c. et extant apud Bzovium ad an. 1413. et Herm. v. d. Hardt. T. VI. p. 5. III. Ejusdem Sigismundi Literae ad Gregorium XII. et Petrum de Luna, quibus ad Concilium invitatur. Incipiunt: Maximo desiderio jam dudum tenebamur &c. et habentur apud Bzov. ad an. 1413. et Herm. v. d. Hardt T. cit. p. 6. IV. Johannis XXIII. Literae indicentes Concilium. Incipiunt: Ad pacem et exaltationem ecclesiae, tranquillitatem christiani populi &c. Referuntur a Bzovio ad an. cit. et Herm. v. d. Hardt T. cit. p. 9.

XXIX. fol. 219. p. 2. Epistola Ladislai Regis Neapolit. ad Johannem XXIII. Incipit: Sanctissimo — Deuotus vester filius Ladislaus dei gratia Vngariae. Iherusalem. Cecilie. (Sicilliae) dalmatie Croatiae Rome (Ramae) Seruie Galicie Iadomerie Comanie bulgarieque rex, prouincie forcalquerij et pedemontis Comes &c. Cum

in cunctis actionibus mundanorum actuum &c. Excusatur haec gesta, nunc demum se convictum esse de legitimo Johannis Pontificatu, eique se praestare obedientiam in manibus Reynaldi (Brancatii) sancti viti in macello Diaconi Card. Datae et subscriptae manu propria: In castro nostro nouo neapoli Anno domini M^o. CCCC^o. XII. die XVI. mensis Octobr. Indict. VI. Regnorum Anno XXVI^o. Emtam hanc Submissionem a Johanne sunt, qui adferant, nec diutinam fuisse, eventus docuit, cum, ut ait Oldoinus in Addit. ad Ciaconium T. II. col. 791. nihil Ladislaus ex fide ageret, qui nullam habebat. Ceterum Epistolam nostram nullibi impressam reperi.

XXX. fol. 223. Johannis de Ruckenberg, ut e calce transcribo, Praemonstratensis Principium in lectionem Iuris canonici. Laudes Disciplinae, quam profiteri aggredditur, textit, hoc initio: Thezaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti. Prov. XXXI. Reuerendi p. mei — Dum venerabilium patrum doctorum ac sanorum (seniorum?) nostrorum precellentia facta sedula mente recolimus &c. De Autore silent fontes mei.

XXXI. fol. 228. Sermo domini Episcopi sarisberiensis anglici in Concilio Constan. In illud: Erunt signa in sole et luna. Luc. XXI. Incipit. In principio huius verbi pro felici statu &c. et est Roberti Alani, ut notatum ad Cod. DCCCC. LXIX.

XXXII. fol. 236. p. 2. Sequitur sermo Magistri Mauricij de praga

2577

C A S U I S T I C I.

2578

praga de reformatione ecclesie factus post electionem. Videlicet Martini V. Constantiae. In illud: *Ecce ego mitto ad vos prophetas. Matth. XXIII.* Incipit: *Sanctissimum Concilium super fundamentum prophetarum edificatum &c.* Probandum adsumit: *Quod totalis intentio istius evangelice missionis est causa ecclesiasticae reformationis.* En nova ad Viri hujus Scripta accessio, qui ampliolem certe in Bohemia docta memoriam deinceps merebitur.

XXXIII. fol. 241. Sermo, ut puto Magistri Johannis Zachariae — —. Ordinis Eremit. S. Aug. erat hic Theologus, ut ad alium Ejus Sermonem Constantiae habitum notavi Cod. mox cit. qui, cum de Pace Ecclesiae tractet, ut praefens iste, Librarium fortassis induxit, ut unum pro altero caperet. Est vero Thema nostri: *Pax Dei exsuperat omnem sensum. Ad Philip. 4. cap.* Additur: *Et in epistola presentis dominice.* Quoniam vero mox ab ingressu legitur: *Et quia hec dies ut puto, totius anni breuior est, in qua etiam sol circa nos breuissimum describit circulum &c.* Epistolam hanc eo aevo ad Dom. IV. Adventus pertinuisse oportet; hodie enim ad Dom. III. pertinet. In ipso Sermone consideratur I. Pacis ecclesiasticae Ordo. II. Pacis significatio. III. Pacis reformatio.

XXXIV. fol. 246. Sermo fratris Jeronimi ordinis Heremitarum sancti augustini electi Ariminen. sacre theologie professoris Ambasiatoris Magnificorum dominorum de

mala testu. De Aduentu et finali iudicio. Thema: *Dominus prope est. Ad Phil. 4. c.* Ex eadem cum praecedente Epistola. Initium: *In huius mundi deserto solitudinis propter prime legis prevaricationem &c.* Graviter hic Sermo temporum et ecclesiae infelicitatem describit. Inter alia legas: *Audiui a quodam doctore magne fame nostri studij, qui dixit se audiuisse pluries a quodam episcopo, qui fuit in morte fel. record. Gregorij XI. apud Romam (1378.) quod dominus papa in mortis articulo de isto Schismate dixit concludens, quod secundum ecclesiae dispositionem multum timebat, quod esset istud schisma prope sicut de schismate inter grecos et latinos, quod dominus per suam immensam clementiam et misericordiam auertat, faciatque unusquisque quod in se est.* Orator Arimino vel Regio Lepido oriundus Sedem ipsam adiit auspice Martino V. 1418. vivis exemptus 1435. teste Ugbello Ital. sacre T. II. col. 432. addendus Bibliothecae Ord. Offingeri.

XXXV. fol. 254. Sermo de Concilio Generali. Thema: *Prosperum iter faciat &c.* Job. Gersonis est Sigismundo Imp. in Hispaniam abeunte Constantiae habitus et a nobis saepius relatus.

XXXVI. fol. 259. Sermo Reverendissimi domini Cardinalis Cameracen. in Constan. concilio. Thema: *Signum magnum apparuit in celo. &c.* Sermo hic Petri de Alliaco jam indicatur Cod. DLXXII. quem confer.

2579

C O D I C E S

2580

XXXVII. fol. 266. Incipit sermo sermocinatus per (Jacobum) Episcopum Laudensem in ingressu conclavis. Thema: *Eligite meliorem. IV. Reg. 10.* Initium: *Tam ruinam vniuersalem opportunitas releuandi occurrens &c.* Ad Concilium Constant. et annum 1417. pertinet, editus ab Herm. v. d. Hardt T. I. p. 931. et rursus in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 785.* ubi plura de Autore Jac. Arigonio de Balardis, cuius alii Sermones a nobis iam alibi relati.

XXXVIII. fol. 276. Sermo eiusdem de eadem. Errorem hic aliquem Librarii suspicari licet. Quid enim rō de eadem? Sermo de Reformatione Ecclesiae agit, de qua utique non egit praecedens. Dubium igitur etiam, an ad *Jacobum Laudens.* pertineat, cui nec locis mox cit. tribuitur. Thema et initium ejus est: *Reformemini in nouitate. Rom. 12. est scriptum et in epistola transumptiue est iam lectum. Sacratissimum Concilium speciosum forma pre filiis hominum quia eodem spiritu sancto congregatum, quo christus irrequisitis parentibus in templo remansit &c.* Levis est momenti.

XXXIX. fol. 284. p. 2. Oratio Legatorum Regis Bobemiae ad Pontificem, hoc ingressu: *An-*

nunciate patri meo vniuersam gloriam meam. Gen. XLV. Beatissime Pater deuotus humilis atque peculiaris filius vester Wenceslaus &c. dum ad pedes vestre S. nos misit utique nobis imposuit ut uobis pastori atque patri omnium catholicorum et specialiter regni sui causam et materiam nostre legacionis explicare deberemus &c. Atque haec est, ut Rex Sublimitatem prelationis vestre maiestatis honoraret. fidelitatem subiectionis sue voluntatis confirmaret. ylaritatem aduentus vestre sanctitatis in constantiam intimaret. Ex aduentu in Constantiam argui posset, legationem hanc directam fuisse a. 1414. ad Johannem XXIII. verum, quia deinceps perpetuo sermo est de Promotione Pontificis, ad an. 1417. et Martinum V. referendam censeo. Dicitur enim audita Promotione de Rege: *confestim ferias indixit et clerum congregari ordinauit, et omnipotenti deo in psalmis et ymnis iubilarum mandauit et processiones et missas solempnes cantari fecit &c.* Nescio, an ullibi typis mandata extet Oratio, in qua nulla mentio intestinarum Regni barbarum.

XL. fol. 286. Incipiunt Versus tytolorum primi libri Decretalium.

Primo sancta fides statuit scribit quoque consue. &c.

et ita reliquorum etiam Librorum Gregorii V. paene, ut in antiquis Editionibus Iuris Can. Adhaerent breues de hoc Iure Notulae.

XLI. fol. 290. Sermo de dedicatione templi. Nitide scriptus, hujus Thematis et initii: *Domus mea domus orationis est. Luc. 19. Verbum assumptum olim ab ipso deo*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4948

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2581

C A S U I S T I C I.

2582

deo per os Ysaie prophete annunciatum &c. Nomen Oratoris non exprimitur.

XLII. fol. 303. Incipit Cronica magistri Jordani qualiter romanum imperium translatum sit ad germanos et quare romanum imperium sit honorandum. Initium: *Multifarie multisque modis dominus universorum in diebus sue carnis dignatus est honorare romanum imperium &c.* Aliud Exemplar dedimus Cod. CCCXII. Praefens eandem habet *περικοπην* de Rudolpho I. quae in Schardii Editt. Basil. 1566 et Argent. 1609. f. deest. Rudolphus hic dicitur de Hauesburg. Capita illa Schardii de Baculo S. Petri Codex noster non agnoscit; habet tamen, unde manifestum Schardii hiatus expleas. Ubi enim is *Divisionem Galliae* edit. Basil. p. 301. Argent. p. 106. exponit, inter ejus verba: *crescere permittebant — ipsa siquidem &c.* interfere: *et in Galliam togatam et in Galliam braccatam sunt diuisi, et deinceps lege: isti siquidem (nempe Togati et Braccati) Gallici ornatui tegumentorum — intendebant.* Praeterea, ubi de Gallis Comatis prius agitur, Schardiusque legit: *quadam negligentia comam crescere permittebant, in Cod. nostro inuenias: quadam iuris negligentia.*

XLIII. Fol. 320. p. 2. Bulla aurea de electione Romani regis. Initium: *In nomine sancte — karolus Quartus — Omne regnum in se ipso diuisum dilabitur &c.* Procedit usque ad Caput de Rege Bobemiae definens in haec ver-

ba: *indubia (indubiam) tenore (tenere) roboris firmitatem.* Itaque Exemplum longe infra dignitatem splendidissimi illius, quod de *Mandato Wenceslai Romanorum et boemiae regis Anno domini millesimo quadringentesimo* caractere luculento exaratum, picturisque diluto auro fulgidis, non omisso in fronte Balneatricum choro, ornatum Bibliotheca nostra Palatina fervat.

DCLXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 695 XVI. Folior. 233. 4. non una manu descriptus hoc Titulo. est: *Instructio Sacerdotis compendiosa. — Auctore Reuerendo ac cumprimis pio patre domino Francisco Toledo Societatis Jesu Theologo Romae in eiusdem Societatis Collegio professore publico. Anno virginiei partus MDLXV.* Exceptam calamo a Discipulo quodam haec ad Libri V. calcem verba innuere videntur: *Haec secundo anno casuum legit Reuerendus Doctor Franciscus Toletus in Collegio Romano Romae 1567.* In Tractatu VI. de *Praeceptis Ecclesiae* ab-rumpitur Opus egregium, quod deinceps Romae, Venetiis et alibi saepius auctum retractatumque typis prodiit. De Autore tradit Alegambius, Ciaconius &c.

DCLXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 703 XVII. Folior. 309. 4. inscribitur: *Theologia Practica sive Moralialis,*